



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Canonico Coloniensi, cui in fine se ostendit, cap. 56.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

CIRCA hoc triennium, monachus quidam Wernerus nomine in Eberbacho defunctus est, & rante quidem adolescens & imberbis, sed mente canus: hic cum ante horam exitus sui, sicut ab eius Abbatē didici, dæmones circa se videret, illorum importunitate valde turbatus clamare cœpit: Sancta Maria libera me ab istis vilissimis, crebrius hoc repetens. Audientes huiusmodi clamorem hi, qui circa eum erant, satis mirabantur, scientes eum esse taciturnum, & vix ad interrogata respondere. Postmodum respirans & inclinans ait: Bene veniat charissima Domina mea, bene veniat: moxq; manū cōtra dæmones leuās, & eis insultans, subjunxit: Modò iacete vos ibi, modò iacete vos ibi; sicq; post modicū, placido vultu expirauit, angelis gaudiū faciēs in cœlo, sed non modicum dolorem fratribus in monasterio; fuerat enim adolescens bonus & disciplinatus, virgo corpore & mente. Nec dubitandum est, quin in aduentu reginæ cœli, omnis illa turba spirituum malignorum impulsa sit & dejecta, sicut in ortu solis dispergitur nebula matutina. **APOLLONIUS:** Si Dominā nostra clementissima, in morte peccatoris, sicut supradictum est capite ix. sola sua misericordia dæmonum cachinos compescuit, non miror, si in obitu huius justi terrores illorum indebitos repressit. **CAESARIUS:** Bene sentis; dignum erat, ut mater totius castitatis, etiam ante mortem, in suo famulo tam iocunda visitatione remuneraret virtutem virginitatis. Nec hoc miror de perfecto monacho, cum ob eandem virtutem, nouerim suam præsentiam, cuidā sacerdiali clerico morienti Dei genitricem exhibuisse.

CAPVT LVI.

QVidam Canonicus maioris ecclesiæ in Colonia, cum in extremis ageret, beatam Mariam præsentem vidit, & agnouit: quam visionem cum circumstantibus recitasset, alapā sensibilem inuisibiliter recepit. **APOLLONIUS:** Quæ fuit ibi culpa? **CAESARIUS:** Puto quia inanis gloria, quæ mox per eadēm alapam

ālapam est sanata. Vocabatur Albertus, & licet corpore fuerit castus, satis tamen extitit secularis & deliciatus, atque in vestibus curiosus. Ne tamen causari possis, quod vniuersorum Domina tantum claustralibus virginibus, vel continentibus decedentibus, suam præsentiam visibiliter impēdat, eosque ad vitam eternam perducat, personam laicam & vxoratā tibi proponam.

C A P V T L V I I .

Civis quidam de Tulpero, vir honestus, Cuno nomine, in hac extrema expeditione signatus, cum alijs peregrinis ad mare usque peruenit: ibi grauiter infirmatus, cūm moriturus esset, cœpit mirabiliter iocundari: requirentibus socijs de causa lætitiae, respondit: Quare non gaudeam: ecce Domina nostra sancta Maria hīc prælens est, & hæc mihi dixit: Cuno quia reliquisti uxorem, filios, & omnia tua, propter honorem filij mei periculis te expōnens, ego bene & plenè retribuam tibi: qui statim exclamauit: En video cœlum apertum, & in eo sedem mihi præparatam, ad quam celerius sum ascensurus; moxque sacro oleo postulans se inungi, & viatico Dominici corporis muniri, hominem peregre deposuit, & sicut verus peregrinus, in cœlesti patria laboris sui præmium suscepit. **A P O L L O N I V S :** Non miror, si homo iste justus, vel potius per crucis signationem justificatus, tam mirifica vidit & promeruit, sed, si nosti, dic vnde mirer. **C A E S A R I V S :** Duo tibi dicam exempla diuinæ pietatis, eiusque genitricis, quæ te non solùm in admirationem, imò etiam in stuporem meritò conuertant.

C A P V T L V I I I .

Miles quidam nobilis, sed criminosus, tempore quodam ab inimicis suis captus est, & quia mortales erant inter eos inimicitiaz, visum est eis expedire, ut in instati occideretur: cernes vir nobilis sibi morte imminere, & nullum adesse remedium vita, supplici voce dixit ad illos: Rogo vos intuitu Dei, ut ad modicum morte mea differre dignemini,